delinquentium · sed mox ut coeperint oriri ·
radicitus ea ut praevalet amputet; Memor peri
culi heli sacerdotis de silo; Et honestiores quidem atque
intellegibiles animos prima vel secunda admonitione
verbis corripiat; Improbos autem et duros ac superbos ·
vel inobedientes · verberum vel corporis castigatione
in ipso initio peccati coherceat · sciens scriptum ·
Stultus verbis non corrigitur · Et iterum · Percute filium
tuum virga; et liberabis animam eius a morte ·
Meminere debet semper abba quod est · meminere quod di-
-scire quia cui plus committitur · plus ab eo exigitur;
Sciatque; quam difficile · et arduam rem suscepit · regere
animas · et multorum servire moribus; · Et alium
quidem blandimentis · alium vero increpationibus; · alium
suasionibus · secundum uniuscuiusque; qualitatem vel in
tellegentiam · ita se omnibus; conformet et aptet · ut non
solum detrimenta gregis sibi commissi non patiatur ·
verum in augmentatione boni gregis gaudeat; Ante
omnia ne dissimulans · aut parvipendens salutem
animarum sibi commissarum non plus gerat sollici
tudinem de rebus transitoriis · et terrenis atque caducis ·

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. A 92.8, 4v – Regula Benedicti
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-iman/5127/48939)